



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

Pavlvs Papa Tertivs, ad perpetuam rei memoriam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

ritas, rationibus suis quantum officiat, omni arte contendit ea obruere, prorsusque de medio tollere, sed frustra, nam rumpatur licet, hoc ipso indicat, opus diuinum omnino id esse, quod insectationibus alatur, & tempestatibus germinet,] haectenus Episcopus Torres. Quae tamen aut parum amici, aut nimirum ignari Exercitiis opponerant; non solo contemptu refelli oportuit; quod praesertim auctores, partim manifestos, partim occulte infestos praeserrent, qui si minus veris, vno saltem nominis pondere, suspicionem mouere poterant. Quare Dux Gandiae (postea B. Franciscus Borgia) causae bonitate, & publici commodi studio apud Paulum tertium suppliciter egit, de Exercitiis Spiritualibus Ignatij, post seuerum Examen approbandis, & Apostolica auctoritate muniendis: acquieuit lubens roganti Pontifex, & librum ab Andrea Frusio, ex Castellana lingua Latinae redditum, censurae commisit virorum trium, qui tunc Romae scientia, & dignitate eminebant; Ioanni Aluaro Toletano, Burgensi Episcopo, ex Ordine Dominicatorum; Philippo Archinto Pontificis Romae Vicario, & P. F. Aegidio Folcarario, sacri Palatii Magistro: quorum vbi accepit tam plenam cum laude approbationem, vt ne syllabam quidem in iis attigissent, anno 1548. ea Pontificio diplomate munita, confirmauit, tutumque illorum usum declarauit. Relatu dignum, lectuque diploma appono.

PAVLVS PAPA TERTIVS,
ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officij cura, in vniuersum Christi gregem nobis commissa, & diuinae gloriae ac laudis amor, facit, vt ea quae salutem animarum, & spiritualem earum profectum iuuant, amplectentes, vota eorum, qui aliquid, quod fouere, & nutrire pietatem in Christi fidelibus valeat, a nobis exposcunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum ergo (sicut dilectus filius, nobilis Vir, Franciscus de Borgia, Dux Gandiae, nobis nuper exponi fecit) dilectus filius Ignatius de Loyola, Praepositus Generalis Societatis Iesu, per nos in alma Vrbe nostra erectae, & per nos auctoritate Apostolica confirmatae; quaedam documenta, siue Exercitia spiritualia, ex sacris Scripturis, & vitae spiritualis experimentis elicita, composuerit, & in ordinem, ad pie mouendos fidelium animos, aptissimum redegerit; illaque Christi fidelibus, ad spiritualem consolationem, & profectum magnopere utilita, & salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata, praedictus Franciscus Dux didicerit; sed etiam experimento manifesto, cum Barcinone, tum Valentiae, tum Gandiae, id compertum habuerit. Quare idem Franciscus Dux nobis humiliter supplicari fecit, vt documenta, & spiritualia Exercitia praedicta, quo latius eorum fructus pateat, & plures

Christi

Christi fideles, maiori cum deuotione ad utendum illis, inuitentur, examinari facere: & si approbatione, & laude digna inueniremus, appobare, & laudare, aliisque in præmissis opportunè prouidere de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, qui documenta & Exercitia huiusmodi examinari recimus; & quæ testimonio, ac relatione, dilecti filij nostri, Ioannis Tit. S. Clementis, presbyteri Cardinalis Burgenfis Episcopi, ac hæretica prauitatis inquisitoris, & venerabilis fratris nostri Philippi Saluiciarum Episcopi, ac dictæ Urbis nostræ in spiritualibus Vicarij generalis, necnon dilecti filij Ægidij Foscararij, nostri Sacri Palatij Magistri, nobis desuper facta, pietate, ac sanctitate plena, & ad ædificationem, & spirituales profectum fidelium valde vtilia, & salubria esse, & fore comperimus: debitum etiam respectum ad fructus vberes, quos Ignatius, & ab ipso instituta Societas præfata, in Ecclesia Dei vbique gentium producere non cessant, & ad maximum adiumentum, quod ad id prædicta Exercitia attulerunt, non immeritò habentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, documenta, & Exercitia prædicta, ac omnia & singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrociniò, communimus. Hortantes plurimum in Domino, omnes & singulos, vtriusque sexus, Christi fideles vbilibet constitutos, vt tam pijs documentis & Exercitijs vti, & illis instrui deuotè velint. Necnon concedentes, vt huiusmodi documenta & spiritualia Exercitia imprimi, à quocumque Bibliopola per prædictum Ignatium eligendo, libere & licite valeant. Ita tamen, vt post primam editionem, sine consensu eiusdem Ignatij, vel successorum eius, nec ab hoc, nec ab alio omnino, sub excommunicationis & 500. ducat. pijs operibus applicandorum, penam imprimi possint. Ac mandantes nihilominus vniuersis, & singulis locorum ordinarijs, ac personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, & Cathedralium, ac Metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis, & earundem ordinariorum Vicarijs, in spiritualibus, generalibus & Officialibus vbilibet constitutis, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum, perse, vel alium, seu alios, cuius de Societate prædicta, vel alijs, quorum intererit in præmissis spiritualibus Exercitijs, efficacia defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra illos dicta concessione, & approbatione pacifice frui, & gaudere: non permittentes eos, per quoscumque, contra præsentium tenorem quomodolibet molestari: contradictores quoscumque, & rebelles, per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, ac alia opportuna iuris remedia, appellatione postposita compescendo: inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis. Non obstant. fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. Prædecessoris nostri de vna, & Concilij generalis de Duabus diæsis, dummodo vltra tres, aliquis, auctoritate præsentium, non trahatur; & quibusvis alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari

municari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Volumus autem, quod presentium litterarum transumptis, manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati, seu personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, plena fides ubique habeatur & illis stetur tam in Iudicio, quam extra, ac si originales Litteræ exhiberentur, & ostenderentur. Datum Romæ apud sanctum Marcum, sub annulo Piscatoris, die ultimo Iulij, millesimo quingentesimo quadragésimo octauo. Pontificatus nostri anno xrv.

BLO. EP. FVLGINEN.

Ita demum os aduersariis vel occlusum, vel factum ne posthac audeant, quod Petri Sedes comprobasset, absque temeritatis nota & maledicentiæ, damnare, aut carpere. Ex eo diplomate duo consequuntur momenti ad veritatem grauissimi. Primum, (quod notat illustris Theologus & in nouarum hæresion expugnatione, posteris memorandus) Baij sequacibus, mirum videri non debere, si suis artibus disturbandis, euertendisque machinis, aduersarios potissimum senserint ex Ignatij familia socios. Habent enim Exercitia S. Patris tum quatuordecim Regulas discernendorum à fallacibus, & dubiis, piorum diuinorumque spirituum; tum decem & octo alias, cum Ecclesia Catholica sentiendi; quæ multa continent falsis & Baij dogmatis, & recens damnatis Iansenij erroribus planè opposita; sunt tamen eæ Regulae supremi quam retuli auctoritate oraculi, clare adedò disertèque probata, vt dixerit Pontifex, *Documenta, & Exercitia prædicta, & singula in iis contenta, auctoritate prædicta, tenore presentium, ex certa scientia nostra, approbamus, collaudamus & presentis scripti patrocinio communimus.* Ergo illa quam impetierant doctrina cum esset nobis hæreditaria, & patrimonij iure, ab ortu debita, omnino à nobis defendi eam opportuit ab iniqua usurpatione, nec possunt sperare fore vnquam ex hac familia iuris huius præuaricatorem, & transfugam, nisi se eadem opera degenerem profiteatur, & spurium. Nec illud alterum ex duobus, quæ sequi dixeram, habendum minoris, quod via quam tener ad virtutem, pietatèque Societas, auctoritatem hinc etiam nacta est securitatis non dubiæ, cum tota iis constet regulis quas sanctissimus Fundator, eo libello consignauit. Hoc verò quanti sit, ob periculum exerrandi, si quis seipsum sectetur ducem, aut calles ineat parum tutos, fidem facit Ioannes Auila, magnus ille in diuinis præceptor, solitus nostris ingerere quantas Deo deberent gratias, quod ab ipso primo in Societatem ingressu, certi essent se iter ingredi, securi ad perfectam virtutem ad quam vocarentur successus, sibi multo secius euenisse, vt qui sæpius se hallucinatum in orandi modo, suo damno, sed diu post, animaduertisset. Nam vtcumque nunc passim in externis, (qua causa non dixerim) non sit Exercitiorum tam frequens vsus, vt olim fuerat, cum vel Parmæ tantum, centum simul iis operam dabant, Petro

XX.

Secura quam tenet Societas pietatis via & quam sæpe Exercitia vtatur.
Franc. Annat. c. 8. l. vlt.
Aug. à Baian. vindic.

Fabro